

72  
13

M O S E N  
I V S T V M A E G Y P T I I  
P E R C V S S O R E M

---

D E O A V S P I C E  
C O N S E N T I E N T E A M P L I S S I M O P H I L O S O P H O R V M O R D I N E  
P R A E S I D E  
V I R O M A G N I F I C O E X C E L L E N T I S S I M O  
A T Q V E A M P L I S S I M O  
I O H A N N E F R I D E R I C O S T I E B R I T Z

A C A D E M I A E F R I D E R I C I A N A E P R O R E C T O R E  
P H I L O S O P H I A E O E C O N O M I A E P O L I T I C E S E T C A M E R A L I V M  
P R O F E S S O R E P V B L I C O O R D I N A R I O  
E T A L V M N O R V M R E G I O R V M E P H O R O

P R A E C E P T O R E A T Q V E P A T R O N O  
P I E T A T E M A X I M A A E T A T E M D E V E N E R A N D O

D. XII IVLII A. O. R. MDCCLXVI.  
E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I  
S I S T I T V

A V C T O R E T R E S P O N D E N S  
S A M V E L G O T T L O B H O F F M A N N

L I E G N I T Z A - S I L E S I V S  
S. S. T H E O L O G I A E C V L T O R .

---

H A L A E M A G D E B V R G I C A E  
T Y P I S G R V N E R T I A N I S .

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page.



CIVITATIS LIEGNICENSIS

ILLVSTRI

ATQVE EXCELLENTISSIMO

DIRECTORI

EXCELLENTISSIMIS

ATQVE AMPLISSIMIS

CONSVLIBVS

ET DENIQVE

AMPLISSIMIS

ET SPECTATISSIMIS

SENATORIBVS

VIRIS  
DE BONO PVBLICO LONGE MERITISSIMIS  
FAVTO RIBVS SVIS  
ATQVE  
PATRONIS  
MAXIME MVNIFICIS  
HANC DISSERTATIONEM  
QVALEMCVNQVE  
PRO BENEFICIIS BENEVOLE IN SE COLLATIS  
CVM VOTO  
OMNIGENAE FELICITATIS  
DEVOTA MENTE OFFERT

SAMVEL GOTTLOB HOFFMANN.



§. I.



*Moses*, vir diuinus, varia variorum expertus est iudicia, propterea quod Aegyptium, iniuste Israelitam tractantem, interfecerit. Qui profusus alieno ab ipso animo sunt, plura habent, quae aduersus eum proferunt. *Primo* facinorosum eum vocant legis, quae homines occidi vetat, transgressorem, arbitrari praeterea, ipsum eo grauius & turpius peccasse, quo altius repetendum sit de sanguine non profundendo interdictum; & quo magis ipse, legislatorem nimirum agens, alios ab occidendis aliis prohibuerit. *Deinde* vero ingrati animi notam ipsi inurunt, quem adeo manifestum fecerit, ut nihil supra dici queat. *Moses*, sic inquit, cum in summo vitae discrimine haereret, quam clementissime a principe Regis filia, quam *Thermutin* vocat *Iosephus*, in vita conseruatus, splendidissime educatus, adultior factus in omni Aegyptiorum sapientia institutus, atque insuper filii loco habitus est. Tanta haec fuerunt beneficia, haud dubie Rege ipso adnuente in ipsum collata, quanta esse possunt maxima. Qui  
 A  
 igitur

igitur, ita pergunt *Mosis* accusatores, hic a se impetrare potuit, ut, horum omnium immemor, proprio arbitrato ad Israelitas, Regi inuisos, excursionem suscepta, alienae liti se ingereret, remuneratioque prorsus ausu ciuem aegyptium, hominem liberum, paullo acrius aduersus Israelitam, mancipium, agentem, emedio tolleret? Siccine nulla ipsi inerat regiae clementiae, cui omnia fere debebat, recordatio; siccine nulla prorsus ducebatur erga Regem reverentia; siccine regionum ciuium salutem susque deque habebat, dummodo vnum Israelitam a vexationibus, forte meritis, liberaret? Colligunt *denique* seueriores *Mosis* iudices, ipsum satis mature apertissima praecipitis irae & furoris, rebellis & crudelis animi, adfectataeque auctoritatis specimina edidisse, ex quibus haud obscure intelligi poterit, se, occasione quam primum oblata, ducem futurum esse Israelitarum, iugum sibi impositum excussurorum, atque aduersus ipsum Regem, in cuius aula hucusque focus erat, arma capelliturum.

## §. II.

Inter Christi quoque ciues, tum prisca tum recentiori aetate, exstiterunt haud pauci, quibus *Mosis* facinus probari non potuit. Ut quosdam ex veteribus excitemus, AVGVSTINVM ante omnia adpellamus, qui Lib. XXII. contra FAVSTVM MANICHAEVVM *Cap. 70, & Lib II. Quaest. super Exod. Quaest. 2.* ex eo *Mosen* damnat, quod nullam potestatem gesserit, nec acceptam diuinitus, nec humana societate ordinatam; indeque opinatur, *Mosen* ex quadam animi leuitate egisse, quam cum *Petri*, gladio male vsi, temeritate comparare possis. Non tamen manfit AVGVSTINVS in hac sententia, sed, re maturius deliberata, *l. c. quaest. super Exodum*, *Mosen* diuinitus excitatum fuisse ad patrandum hoc facinus adseruit. Subiungimus huic HILARIVM *L. V. de Trinitate c. 15.* qui Mosaicum factum



factum sine ambagibus carnali adfectui tribuit, quod vix mirum ipsi viderur, quia, vt putat, paternarum benedictionum fuerit ignarus. Immo *Occumenius* statuit, Satanam, propter id ipsum *Mosen* apud Deum accusantem, prohibere voluisse, quo minus corpus ipsius terrae mandaretur. Vix opus est, vt moneamus, *Occumenium* hanc sententiam ex male intellecto loco Iudae v. g. depromisse.

## §. III.

Veteribus accefferunt nonnulli recentiorum, qui, si mitissime sentire voluerint, defendunt, *Mosen* hic aliquid humani passum, iraque praecipitis vehementia abreptum, Aegyptium occidisse. Quid, quod? arbitrantur illi, ipsum *Mosen* admitti malefici mox sibi conscium fuisse: Probare id student  
 α) ex eo, quod Aegyptium occisurus huc illuc respexerit;  
 β) quod interfectum quam citissime sepeliuerit; & γ) quod illico fuga sibi consuluerit, promeritam pœnam effugiturus.

## §. IV.

Nobis, si religionis arcem spectes, prorsus perinde esse potest, vtrum iuste vel iniuste aegyptium hominem *Moses* trucidauerit, vtpote probe gnaris, veram religionem ab infira sua virtute, diuinoque testimonio, haud quaquam vero ab hominum, circa eam versantium, moribus pendere. Sarta itaque & recta manebit religionis mosaicae dignitas, dummodo eius diuinitatem extra dubium posueris, si vel maxime caedem iniuste patrauerit. Nemo nostrum est, qui *Mosen* per omnia defendere adlaborauerit. Homo fuit, nihilque humani ab ipso fuit alienum. Peccauit vtrique, cum diuinae vocationi semel iterumque obniteretur; nec vulgare diffidentiae erga Deum specimen edidit, cum petram, quam semel percutere iustus erat, bis baculo feriret. Interim haec non eo pertinent, vt integrum cuius relinquantur pro lubitu *Mosis* facta inter de-

liſta referre. Cauſſae ſat graues adſint, neceſſe eſt, ſi tanto viro, quem Deus ad reſ maximas gerendas adhibuit, prauum aliquod facinus impingere volueris. Quibus ſi deſtituaris, aut ſi, quas allegas, cauſſae facile conſutari, atque e contrario rationes non contemnendae, quibus factum aliquod defendi queat, proferri poſſint: tum proſecto, iudicis partes te non rite adminiſtraſſe, in propatulo eſt. Nobis ſaltem videtur, *Mofen* nec culpofum, multo minus dolofum, homicidium amiſſiſſe, cum Aegyptium percuteret; neque reſponſionem ad eorum argumenta, qui eum ſub cenſuram vocant, difficilem eſſe credimus.

## §. V.

Exſtiterunt vero iam ante nos docti homines, qui cauſſam Viri vere magni defendendam in ſe ſuſceperunt; diuerſa tamen, vt fieri ſolet, ratione. Iudaei ad vnum omnes fere nobis narrant, Aegyptium Iſraelitae uxorem adulterio corrupiſſe, cum media nocte ipſius domum perſodiſſet, eundemque altera die apud ſe conſtituiſſe maritum e medio tollere, vt impuros amores eo minus impedito exercere poſſet. Hic vero opportune ſuperueniſſe *Mofen*, qui, poſt exoratum ab Iſraelita auxilium, hominem adulterum, & ſimul homicidium maxime dolofum machinantem, vita priuauerit; non tamen gladio, aut alio armorum genere, ſed ſolo verbo, ſcil. pronuntiatione nominis I E H O V A, ſicuti, *Petrum* Ananiam & Sapphiram verbo interfeciſſe, nobis conſtat. Traduntur haec in libro *de vita & morte Moſis*, quem GAULMINVS, adiuncta latina verſione, euulgauit p. 9. ſeq. edit. FABRICIANAE; quibus addi poſſunt, quae *notarum L. 1. c. 4. p. 12. ſeq.* nec non in EISENMENGERI *Iudaismo detecto P. I. p. 105.* leguntur. Non tamen haec fabula heri & nudius tertius demum nata eſt; ſed eius mentionem ex parte iam fecit CLEMENS ALEXANDRINVS

DR. NVS L. I. STROMATVM p. 344. edit. Colon. Nolo his commentis, iudaico cerebro dignis, immorari; ea enim recitasse, simul est refutasse.

## §. VI.

LV THERVS quoque inter eos nomen suum professus est, qui *Mosen* ab homicidii crimine liberatum iuerunt, & quidem ita, vt existimaverit, eum ex impulsu diuino factum plane heroicum edidisse; quod tamen ad imitationem trahi nequeat; sicuti *Pinechasti* atque *Eliae* facta imitari nemini nostrum fasset. Secuti sunt virum beatorum plures, interque eos IOH. FRID. MAYERVS in diss. num *Moses aegyptium iuste interfecerit?* Si tamen verum fatendum sit, vereor, vt hoc argumentum vel omnibus persuadeatur, vel solitarium omnem ex animis, etiam recte sentientium, scrupulum eximat. Quod non omnibus persuaderi queat, haud difficulter ostenditur. Cum enim factum heroicum dicatur factum prorsus singulare, a communi agendi ratione desectens, potissimum vero a peculiari Numinis excitatione profectum, atque ad diuinos fines obtinendos comparatum: tum statim ab initio adparet, cuiusmodi quid si de *Mose* adfirmaueris, nihil te effecturum esse apud eos, qui a religione reuelata alienum gerunt animum, vt ipse qui *Mosen* potius pro impostore, quam pro viro diuinitus agitato, habent. Risi itaque cachinnoque re excipient, si, pro *Mose* disputaturus, mox ad instinctum quemdam, a Deo inditum, recurreris, opinari, quod manifeste id peras, quod est in principio. Hi enim probare institunt, *Mosi* nihil cum Deo intercessisse commercii, quia legem diuinam, eamque naturalem, impie violauerit; & tu nihilominus, his obuiam iturus, statim sumis, fuisse ipsum a Deo, sicuti ad alia facinora, ita etiam ad homicidium committendum, instigatum. Sed iam oculos tuos conice in meliora edoctos, & non ita coe-

nose de *Mose* iudicantes, simul vero sciendi cupidos, vtrum Deus reuera *Mosen* ad Aegyptium necandum vel impulerit, vel impellere potuerit, salvis suis attributis? Qui cum nouerint, Numen, prouti ipsummet sanctissimum iustissimumque est, maxime serio velle, vt homines quoque sancte iusteque uiuant, suum cuique tribuant, neminem laedant, & hinc nemini, in quem ius non habent, & qui praeterea meritis non erat, vitam adimant, dubii haerebunt, quinimmo concipere non poterunt, qui idem numen legatum suum, *Mosen*, quem aliis iustitiae exemplum praecire oportebat, exciassse dici queat ad hominem trucidandum, ipsius arbitrio nec subiectum, nec propter rixas cum Israelita fotas mortem meritum. Non potest Deus potestatem dare iniuste agendi, multo minus vero iniuste facta adprobare, omnium minime illa iubere, atque, vt patrentur, singulari quadam ratione quemquam obligare. Ex his oppido clarer, diuinum ad actionem aliquam edendam instinctum numquam non praestruere actionis illius rectitudinem, nisi Deum malum fingere volueris; patet etiam, non prouocari ad eum prius posse, quam certior factus sis de actionis ipsius cum lege conuenientia. Iis itaque, qui factum heroicum in caede a *Mose* admissa quaerunt, ante omnia probandum erat, eundem immutabilem iustitiae exercendae legem eo ipso nequaquam migrasse, sed tale quid praestitisse, quod vel rigorosissimum examen sustinere queat. Forte inquis, te largiri quidem, Deum non nisi ad recte facta impellere: non tamen opus esse operosa eius rei in casu singulari probatione, quod factum aliquod in se legitimum sit; quia iam in antecessum sumi posset, hoc recte se habere, propterea quod Deus ad illud agentem compulerit. Facile patimur, te in euidencia testimonii, vbi illa datur, adquiescere; siquidem, quod rem ipsam spectat, nobiscum sentis: interim illud etiam nobis concedi postulamus, fructuosum esse laborem, & ad rationem reddenda-

reddendam aptum, si, ubi haberi potest, obiecti quoque euidencia potitus fueris.

## §. VII.

Age igitur, ostendamus eum in finem, *Mosen* revera nihil iniusti admisisse, cum virum Aegyptium neci daret. Probabimus illud 1) *ex sanae rationis principiis*; 2) *ex ipso Aegyptiorum iure*; & tum demum, iustitia causae satis confirmata, *euincemus* 3) *Mosen ex voluntate Dei, eum impellentis, facinus illud perpetrasse*. Antequam ad rem ipsam accedimus, pauca praemonere liceat de Israelitarum, quam in Aegypto subierant, conditione. Contulerant se eorum maiores in Aegyptum tamquam homines ingenui, magnis pollicitationibus adlecti, & singularis regiae clementiae documentis ornati, propterea quod *Iosephus*, eorum frater, immortaliter tum de ipso Rege, tum de tota Aegypto, meritis esset. Cum vero, in immensum multiplicati, non amplius intra Gosenitidis terminos contineri possent, sed per reliquas Aegypti prouincias magnam partem diffunderentur: tum Aegyptii, pessima quaeque ab ipsis merentes, indeque odio, inuidia atque inimicitia aduersus ipsos correpti, conspirabant quasi in eorum perniciem, nihilque intermittebant, quod ad impediendam eorum multiplicationem atque ad vitam miserrime agendam facere videbatur. Tractabant itaque eos asperrime tanquam mancipia, laboribusque ad dicebant, quibus humeri ipsorum plane erant impares, saeviebant in eorum corpora, & ut verbo dicamus, quilibet fere tanto habebatur patriae amantior, quanto erat in Israelitas crudelior. Eiusmodi saevitiam experiebatur miser ille, de quo legimus *Exod. II, n.* quem ad necem vsque plagis obruebat vir aegyptius. Existimant nonnulli, ebraeum hunc de tribu leuitica fuisse; quia non solum *ebraeus*, verum etiam vnus de *fratribus Moysi*, ex leuitico quippe genere orti, vocatur. Quo ad-

misso,

misso, tum ad eandem cum *Mose* gentem, tum quoque ad eandem familiam, cui *Moses* ortum debebat, referendus erit. Sed haec parum firma sunt, siquidem paullo ante *Moses exiisse* legitur ad fratros suos; ubi haud dubie ebraei generatim intelliguntur. Vtrum percussor e numero praefectorum fuerit, quos Rex super Israelitas ad exigenda tributa & vrgendas operas constituerat, quod *Philo de vita Mosi*, L. I. p. 609. sibi persuaderi; nec adfirmare, nec negare audeamus. Adfirmari posset, quia l. c. post verba, *Mosen non sine dolore conspexisse baiulationes illorum*, statim additur, *observasse eum ea occasione, quod Aegyptius ebraeum verberibus adfecerat*. Videtur nimirum Aegyptius ideo in Israelitam fauuisse, quod officio suo non satis interesset. Negari vero idem ex altera parte posset, quia *Mosi* sufficit eum *Aegyptium* vocasse, omiſſa denominatione מִצְרַיִם *praefecti tributi* Ex. I, 11. vel מִצְרַיִם, *exactoris*, cuius mentio est cap. V, 6. Quidquid vero huius sit, illud saltem adsumere licet, aegyptium sine iusta causa magna usum esse aduersus Israelitam violentia.

## §. VIII.

Hic vero eos, qui in *Mosen* inuehuntur, dupliciter errare animaduertimus, tum quod plagas, Israelitae ab Aegyptio illatas, iusto leviores fuisse, tum quod *Mosen* ex praecipiti ira statim ad extrema proruisse, arbitrentur. Vtrumque ex nostra opinione falsum. In *Exodo* quidem Aegyptius non nisi generatim מִצְרַיִם, *percussor* dicitur: sed si *Stephanum*, a spiritu sancto actum, Act. VII, 24. consulueris, facile patebit, hunc hominem atrocissime in Ebraeum egisse, prius non destitutum, quam vita eundem priuasset. *Primo enim Protomartyr* narrat, ebraeum fuisse ἀδικουμένου, *iniuria adfectum*; quo ipso significat, aegyptium, nulla re antea laceffitum, virum maxime

maxime innocentem temerario plane ausu, pro mero lubitu odioque in gentem Israeliticam, imperiisse. Deinde vero eum vocat κατὰ πόνερον, laborantem, adflictum, confectum, atque in extremo vitae discrimine versantem. Tribuunt hanc gravissimam atque letiferae adflictionis notionem huic verbo auctores. DIOGENES LAERTIVS eo vitur, cum de vehementissimis ex podagra doloribus verba facit; & DIODORVS Siculus illud adhibet de *Dione*, hostibus vndique cincto, & periculum propriis viribus non amplius a se propellere valente, p. 517. A. Eodem modo legitur apud eundem p. 453. A. de *Rbeginis*, a *Dionysio* obsessis, tanta rerum necessariorum penuria laborantibus, ut iumentis, immo pellibus elixatis, vesci fuerint adacti. Denique nostram mentem confirmat v. 25. l. c. vbi STEPHANVS docet, existimasse *Mosen*, Israelitas ex hoc facinore intellecturos, Deum se vsurum esse ad salutem ipsis procurandam. Quod colligere ex hoc casu non potuissent, nisi percussus in maximum discrimen, vbi saluatore opus erat, adductus fuisset a). Quod vero ad *Mosen* attinet, qui huic se negotio immiscuit, is minime omnium, in furorem quasi coniectus, statim Aegyptium oppressit; sed prouti, praeunte scriptura, iniuriarum patientissimi nomen retulit, ita pro ea animi indole initio violentum hominem ab ebraeo abstrahere, verbis seuerioribus a proposito auocare, eiusque coeptis obsistere conatus est, donec, cum haec omnia nihil efficerent, necessitatem acrius aduersus ipsum agendi sibi impositam videret. Discimus haec iterum ex STEPHANO, qui l. c. de *Mose* ait: ἀδικημενον ημῶν αὐτῶν, καὶ ἐποίησεν ἐκδιήσειν, παταξας τὸν Αἴγυπτιον. Hic aperte docetur, *Mosen* per gradus iuisse. Primo enim ημῶν αὐτῶν, iniuriis obrutum in suam tutelam suscepit, defendit, percussori se opposuit, eundemque repellere studuit; quomodo verbum ἀμυνεσθαι

B

occur-

a) Videri potest de oratione *Stephani* Cl. MUNTRE in *obs. phil. in N. T. libros* p. 225.

occurrit apud DIOD. Sic. p. 38. C. & p. 73. D. Deinde vero demum, ubi conatus in mane reciderant, ἐπιπτεν ἐνδύμασιν, VINDICTIAM SVMISIT ab homine furibundo, letaliter ipsum percutiens. Atque sic in propatulo est, Israelitam in ipsis mortis faucibus haesisse: & Mosē, eundem liberantem, non temere, sed sobrie; non timide, sed mascule egisse. Neque hoc aliter expectandum erat ab eo viro, qui, teste STEPHANO, ita totum hoc negotium moderatus est, ut ceteri Israelitae ex eo intelligerent, Deum se elegisse ad salutem ipsis ferendam.

## §. IX.

Oportebat profecto Aegyptium tanto magis patulas aures Mosi, ipsum propter inflictas plagas increpani, & a peiori facinore dehortanti, praebere; quanto ille dignior erat, atque excelsior. Erat sane vir non solum a forma commendatissimus; verum etiam ad ipsam familiam Regiam pertinens. Nec dubium est, quin ipse, eximios nactus in scientiis, quibus eum sacerdotes, Regum, Regiaeque familiae informatores, imbuerant, profectus, ad grauiissima Regni negotia expedienda adhibitus fuerit. Quibus eo felicius interesse poterat, quo magis certum est, Aegyptiorum sapientiam inter alia in historiarum monumentis, nec non in iuris civilis & militaris prudentiae praeceptis euoluendis, occupatam fuisse. Quod si IOSEPHVS fidem mereretur, qui *Antiquit. L. II. c. 10.* tradit, Mosē, nondum quadraginta annos natum, Pharaonis copiis aduersus Aethiopas summa cum laude praefuisse: tum nostrae sententiae nouum pondus accederet. Sed vero cum IOSEPHVM testibus fide dignis destitutum videamus, merito ab eo abstinemus, idque eo magis quia, ut fabulis nostra superstruantur, non opus est. Eadem de causa eundem deserimus, cum *l. c. c. 5.* narrat, THERMVTIN Mosē triennem Regi, patri suo, oblatum, tamquam dignum in regno successorem, de  
 meliori



meliori commendasse, Regique hoc consilium non displicuisse; etsi ante *Iosephum* iam *Philo L. I. de vita Mosi*, p. 607. scripserit, *Mosen* spe omnium destinatum successorem auiti solii, & Regis iunioris nomine compellatum fuisse. Nobis sufficiat, *Mosen* maxima auctoritate polluisse, quod Aegyptius, nisi de facie ipsum nouerit, saltem ex vestitu, minimum ex moribus, colligere potuit. Quantuscumque vero fuerit *Moses*, nihili tamen fecit eius imperata percussor, qui quippe eo acerbius Israelitum tractabat, quo magis ab iniuriis abstinere iuebatur.

## §. X.

Quibus ita praemissis, haud difficulter I.) duce ipsa *rationis lege*, probabitur, *Mosen* quam iustissime hunc barbarum hominem interfecisse. *Ius enim naturae* sancit, ut per amorem, quem tibi ipsi debes, vitam tuam, sanitatem, membrorumque tuorum integritatem, aduersus quemcumque iniustum aggressorem tuearis, atque, nisi aliter id fieri queat, etiam cum internectione illius defendas. Sed idem rationis ius te docet, eodem amore alios prosequendos esse, quo nos ipsos prosequimur. Inde vero pronò alveo fluit, nos quam maxime obligatos esse, aliorum vitam, sanitatem, membrorumque integritatem, aduersus alios iniustos aggressores rueri, & nisi aliter fieri possit, eum eorum internectione defendere, dummodo illud salua nostra ipsorum salute fieri queat. Cum igitur *Ebraeus*, de quo nobis sermo est, ab Aegypto, crudeli aggressore, eodemque latrone, praeter ius & fas iniuria adfectus ac misere habitus, ad mortem vsque percuteretur, ita ut in summo vitae amittendae periculo haereret: quis dubitabit, *Mosen*, haec obseruantem, vi legis naturalis obligatum fuisse, ut, laboranti opem laturus, non solum mitiora ad ipsum conseruandum adhereret media, sed etiam aduersus pertinacem, nul-

laque arte flectendum oppressorem, extrema quaeque experiretur, fierique si commode posset, eum e medio tolleret. Quod vero homo homini cuiumque, praeter meritum adducto, debet, id eo magis *Moses* ebraeo debebat, ex eadem secum gente oriundo, suo cognato, communibusque sacris adducto. Quibus omnibus etiam illud accessit, quod sui ipsius contemptum inultum finire vix potuerit.

## §. XI.

Vfus iam est hoc argumento, ab *inculcata tutela* desumpto, THOMAS AQUINVS *Summ. Theol. II. 2. quaest. 60.* idemque sibi voluit AMBROSIVS, qui *Officiorum L. I. c. 36.* ex lege caritatis, alteri debita, cuius instabat interitus, *Mosen* ad necem aegyptio inferendam permotum esse statuit. Et recte quidem hoc argumento nitimur, quia in praesenti eventu omnia requisita adsunt, quae a iuris naturalis doctoribus ad inculcatae tutelae moderamen referuntur. Habes enim iniustissimum, eundem que in via publica adgressorem, qui misero & innocenti Israelitae atrocissima quaeque intentabat; habes hominem maxime efferum, qui lenioribus mediis a proposito se revocari non patiebatur, & auctoritatem viri dignissimi stocci pendebat; habes eiusmodi pugnae locum, ubi nec Magistratus auxilium implorari, nec alius arbiter arcessi poterat; habes denique tam acrem pugnam, quae non nisi cum caede, saltim gravissima laesione alterius, finienda erat. Frustra esset, qui opinaretur, *Mosen*, Israelitae iunctum, torum hoc negotium sine nece illata expedire potuisse, dummodo leuius aliquod vulnus violento homini inflixissent. Pater enim, Israelita iam plagis Ieriferis fatigato, omne defensionis onus a solo *Mose* suspensum fuisse. Neque meliora dant, qui fuga salutem potius quaerendam, quam mortem inferendam fuisse, censent. Quemnam, quaesumus te, fugam capeßere oportebat? Percussus ais? at  
VERO

vero hic viribus exhaustus non poterat. *Moses* vero, si fuga salutem quaerere voluisset: tum adstrictum permisisset furibundi adversarii manibus; ut taceam, admodum in gloriam futuram fuisse eiusmodi fugam Viro, tanto in fastigio posito.

## §. XII.

Nostro argumento admissio, facillima est ad *Augustini* rationes, quibus ductus *Mosen* vitiose aegyptium trucidasse arbitratur, responsio. Putat nimirum, hoc factum non videri iustificandum, quia *Moses* nullam potestatem gerebat, nec acceptam diuinitus, nec humana societate ordinatam. Concedamus tantisper, utrumque recte se habere, cuius tamen contrarium quoad prius posthac docebimus: tum respondemus, *Mosen* neutra iam indignuisse. Versabatur enim, cum hoc facinus ederet, in statu naturali, ubi legem naturae, quae ordinaria & vniuersalis vox Dei est, sequebatur; & potestati, humana societate ordinatae, non erat locus.

## §. XIII.

Quem hucusque ex iure naturali defendimus, *Moses*, etiam II.) secundum ipsorum Aegyptiorum, inter quos vivebat, placita defendi potest. Perhibet enim *Diodorus Siculus* L. I. p. 69. legem inter illos viguisse, qua sancitum fuerit, ut, si quis in via videret hominem interfectum, aut vim aliqui patientem, nec liberavit, quamquam poterat, morte plecteretur; sin vero re ipsa non possit auxilium ferre, patefacere tamen eum profus oporteret latrones, & scelus aperire. Quod si itaque *Moses* Israelitam, summae violentiae in via publica, remoto omni arbitrio, expositum, non liberasset, quod tamen poterat: tum omnino mortem subire tenebatur, siquidem Aegyptii suae ipsorum legis memores vivere vellent. Opportune quidem excitauit hanc legem *IOH. CLERICVS* ad Exodi II. 12. sed exi-

stimat tamen, *Mosen hic nimium fecisse, qui quippe Israelitam non modo a periculo liberasset, verum etiam Aegyptium occidisset, quod iuxta hanc legem permissum non fuisset.* At enim vero errat *Vir doctissimus*, dum imperatam afflictorum liberationem tantum ad leniora remedia restringit; cum indeterminare positum utique de omni, quae adhiberi poterat, liberatione capiendum sit. Lex iubebar, ut, *qui posset*, patientem ex periculis infestorum hominum extraheret. *Poterat* autem id fieri vel leniori modo, qui recte adhibebatur, si propulsando periculo sufficeret; vel acerbiori & violentiori modo, nisi aliter consuli posset iniuste in vaso. Numquid ergo is legi, de liberando a vi iniusta homine, satisfecisse putandus est, qui, cum mitiora media non valerent, miserum in manibus oppressoris relinquebat, etsi sufficientibus polleret ad vim repellendam viribus? Numquid iure parcimus latronis vitae, ut opprimatur innocenter infestatus? Numquid vita adgressoris aequiparanda, vel etiam anteferenda est vitae hominis nemini grauis? Minime vero! Intendit igitur legis huius conditor, quisquis ille fuerit, ut, qui posset iniuste afflictum, quomodo-cumque id fieret, a periculo liberare, illud non negligeret.

## §. XIV.

Hic vero SAVRINVS quoque in *Meditationibus T. I. p. 610. vers. germ.* nobis aliquod negotium facessit, cum, adlata hac lege, subiungit, nondum euietum esse, eandem iam *Mosis* aetate obrinuisse. At at cum nullo indicio constet, hanc legem recentius esse conditam: eo usque statuimus, eam *Mosis* iam aetate valuisse, quod usque probatum non fuerit, aevo demum recentiori eam natam esse. Atque id eo rectius nos facere arbitramur, quia notum est, Aegyptios suarum legum, morum, & consuetudinum numquam non fuisse tenacissimos. Etsi enim aliae gentes veteres leges cum novis subinde commutabant, pri-

ficisque

scisque ritibus alios aliosque succedere iubebant: ab hoc tamen more Aegyptii prorsus fuerunt alieni, qui quippe vel minutis tuendis, dummodo aetatem sciperent, ad superstitionem vsque vacabant. Unde vix mirum esse potest, quod in rebus altioris indaginis & maioris momenti ab instituto, semel recepto, nullo pacto dimoueri potuerint. Quamobrem in PLATONIS TIMAEOP. 659. Aegypti sacerdos ita loquens introducit ut suos Aegyptios *senes*, alios vero, veluti Athenienses, utpote quorum antiqua monumenta saepius oblitterata sint, *iuvenes* adpelleret. Hinc haud abs re dixeris, nouam consuetudinem, ab Aegyptiis receptam, rem esse miraculo proximam. Quod ipsum cum ingenti illa, de sapientia sibi quasi priua, persuasione prorsus conuenit, quae tanta erat, ut etiam a se, tanquam a fonte, omnem sapientiam dimanasse iactarent.

## §. XV.

Nostrae, quam huc vsque proposuimus, sententiae, non exiguum ex eo robur conciliatur, quod & *Sinae* eandem legem iam dudum obseruauerint. Quam hoc momentum pro nobis militet, paucis ostendemus. Quodsi enim cum KIRCHERO in *Oedip. Aegypt. T. III. c. II. p. 16.* it. in *gymnas. hieroglyph. c. n. p. 20.* & in *China illustrata P. III. c. III. p. 147.* nec non cum HORNIO de *Orig. American. L. IV. c. IV. p. 233.* GLAESENERO in *Bibl. Brem. Cl. VII. Fasc. VI. n. 2. §. 7. p. 988. sq.* HASAEO *ibid. in subiecta nota (b)*, MOSHEMIO ad CVDWORTHVM p. 377. DESGVIGNIO, in *peculiari scripto*, quo conuenientiam characterum hieroglyphicorum, quibus Aegyptii & *Sinae* vsi sunt, exponere instituit, atque aliis compluribus, statueris, *Sinas* non nisi Aegyptiorum, qui colonias suas per totum orientem disseminarunt, propaginem esse: tum facillime adparet, eam ipsam legem cum nouis colonis in *Chinam* migrasse. Sed hac inuersa ratione, *Coupleti* opinionem, minus

minus tamen credibilem, valere, qua in *prooem. declarat. ad Confucium s. scientiam Sinensium §. IV. p. 71.* adserit, Aegyptios potius a Sinensibus ortum traxisse: tum tamen nihil damni exinde percipimus, quia vel tunc admittendum fuerit, hanc, de qua disputamus, legem, Aegyptiis receptam, vltimam aetatem redolere. Quodsi vero etiam tibi persuaseris, utriusque genti diuersam competere originem, nec alteram ab altera descendisse: tum etiam ne haec quidem sententia nobis fraudi erit. Amplectaris igitur DESHAUTESRAYII, linguae arabicae inter Gallos Professoris, placitum, quo magno conatu aduersus DESGIGNIUM probare suscepit, *Sinas* minime omnium pro Aegyptiorum colonia habendos, sed gentem ab illis plane distinctam esse: tum nihilominus in dubium vocari nequit, quam plurima reperiri, quae inter se communia habet utraque natio. Refertur huc possunt festa, sollemnitates, sacra, figurae, characteres ex variis rebus naturalibus constantes, scientiae, philosophemata, & eius generis alia. Ex quibus oppido patet, *Sinas* saltim sua a doctoribus, aegyptiorum sapientia largiter tinctis, accepisse, prouti constat, inde ab omni retro tempore moris fuisse, ut, qui inter gentes doctrina & abstrusarum rerum cognitione prae aliis eminere studuerunt, ex regionibus maxime disitis in Aegyptum profecti sint, sapientiae praecepta imbibituri, quae deinceps non in patria solum, sed etiam inter alios propagarunt. Eiusmodi quid *Sinis* quoque accidit. Hinc LA CROZIVS *Tom. III. thesauri epistol. p. 240. certum esse*, ait, *sententiam philosophorum Sinensium eandem esse, atque Aegyptiorum veterum, seque certo scire, eos ab his ante multa saecula dogmata fere omnia sua hausisse.* His adde, quae de XEKIAE philosophia, ab Aegyptiis adsumta, deinde vero Indis tradita, & denique ad *Sinas* translata, fufius commemorat BRUCKERVS *T. IV. P. 2. hist. crit. philos. p. 814. — 825. & p. 871. seq.* nec non P. E. IABLONSKIUM in *Panteco Aegypt.*

*Aegypt. p. 30.* Longe aliam viam ingressus est SAMUEL SCHVCKFORDVS in *Harmonia scriptorum sacrorum & profanorum.* Prouti enim hic *T. I. p. 20. 68 & 135. T. II. p. 43. seq.* FOHIVM, Primum Sinensium Monarcham, pro Noachbo habet; ita putat, NOACHVM ex arca, super monte Ararat, nequaquam in Armenia, sed prope Indiam sito, demissa, egressum, se cum quibusdam, qui a negotio turris aedificandae in Sinear alieni fuerint, in Indiam contulisse, indeque ad Sinensium vsque terras cum suis, pederentim valde multiplicatis, peruenisse, & doctrinam patriarchalem, a piis maioribus antediluvianis acceptam, ibidem stabiluisse. Perpoliuerunt hanc SCHVCKFORDI sententiam eruditi *historiae vniuersalis* auctores, & quidem *T. VI. Historiae recentioris aetatis P. II. Sect. I. p. 597. seqq.* omnesque ingenii nervos intenderunt, vt partim nouis argumentis pro ea pugnarent, partim vero obiectiones, quibus ea impeti possit, profigarent. Nobis non vacat in hanc omnem causam inquirere: id tamen intactum relinquere non possumus, quod vel ipsa SCHVCKFORDI opinio nostram egregie confirmet. Quodsi enim *Sinae* leges suas ab ipso generis humani restauratore, NOACHO, acceperint, quarum maior pars iam ab antediluvianis observata fuit, interque eas locum illa quoque obtinuerit, quae auxilium adlictis praestandum sub poena mortis edicit: tum profecto claret, hanc legem, utpote in ipsa iustitiae notione quam maxime fundatam, & antiquissimam, & ad postdiluvianos propagatam, atque a nationibus paullo cultioribus, quales Aegyptii erant, cultam esse.

## §. XVI.

Iustitia facinoris Mosaici sic satis demonstrata, satisfactum esse arbitramur aequo cuius aduersario, vrvt religioni reuelatae parum faventi. Iuuat vero in gratiam eorum, qui hanc venerantur III) euincere *Mosen ab ipso summo Numine ad illud perpetrans*

C

petrandum impulsam esse. Si fidem mereretur IOSEPHVS, cum *A. I. L. II. c. 9.* tradit, *Amrango, parenti, Deum reuclasse, Mosē fore Israelitarum liberatorem;* & praeterea quemdam sacerdotem scribam Regi Aegypti non solum praedixisse, *nasciturum aliquem circa id tempus Israelitis, qui Aegyptiorum imperium deprimeret, Israelitas vero aucturus esset, si aleretur;* verum etiam, *Mosē in Regia conspecto, vociferatum fuisse, hic, o Rex, puer ille est, quem si occiderimus, ostendit Deus, nos sine metu fore:* tum vix dubitandum, *Mosē, horum conficium factum, occasionem inde sumere potuisse de Israelitis liberandis cogitandi, atque hinc obuium miseri oppressorem heroico profusus animo interficiendi.* At enim dum haec sine scripturarum sacrarum auctoritate prolata, & haud dubie vel a IOSEPHO, vel a Iudaeis se anterioribus, pia quadam fraude in honorem *Mosē, conficta sunt;* merito ea mittimus, ad certiora nos recipientes, quae tum *Stephanus, Protomartyr, Act. VII. 23 — 25,* tum vero epistolae ad Hebraeos auctor, *PAVLVS, EBR. XI. 24* sqq. consignata reliquerunt.

## §. XVII.

*Mosēs cum durissimam contribulium suorum fortem in aula Regia subinde perciperet;* non poterat non summo dolore eius rei causa adfici, vehementerque optare, ut res eorum in melius mutarentur. Hoc sperare poterat, quia, uti Deus *Abrahamo GENES. XV, 13.* seruitutis iugum, posteris suis in Aegypto incubiturum, praedixerat, ita promiserat etiam *v. 14.* fore, ut, exactis quadringentis annis, in libertatem adfert, magnis opibus onusti exirent, Canaane potituri. Quod si vero *Mosēs* temporum rationes examineret, facile obseruabat, instare iam illum temporis articulum, quo Deus promissa, quorum memoriam IOSEPHVS quoque morti proximus renouauerat *GEN. L, 24.* executioni esset daturus. Et quidni, si singu-



si singularem suae in vita conseruationis modum, singularissimae, quibus hucusque fructus erat prae Ebraeis omnibus, fata apud se perpenderet, in mentem ipsi venire poterat, se forte esse eum ipsum, a Deo selectum, quo Israelitis salus praestanda esset. Interim haec ipsum, solius rationis & experientiae ductam secutum, nondum permovere valebant, ut, Regia aula, Regio splendore, & Regiis lautitiis, a tergo relictis, omni adparatu ad res gerendas necessario destitutus, ad Israelitas, praefidiis plane orbatus, & ad incitas fere redactus, se conuerteret, causam illorum publice acturus. Ex his haud obscure intelligitur, *Mosen*, quantumuis deplorandam Israelitarum conditionem doleret, aut opportuniorem occasionem iis succurrendi expectare debuisse, aut eum, si nihilominus suorum contribulium causam defendendam sola compassione ductus aperte in se susceperet, quam maxime imprudenter egisse; aut, nisi imprudentiae & temeritatis notam meruisse censendus sit, diuinitus ad quiduis audendum excitatum esse. Iam vero historia sacra docet, quod *Moses*, quadragenarius, Regio palatio valedixerit, ut cum Israelitis, fratribus, versaretur, eorumque res perspiceret penitus. Sed numquid ex animi leuitate & iuuenili quodam imperu, zeloque satis immaturo, hoc fecit? Minime! STEPHANI quidem verba, *αὐτοῦ ἐστὶ τῆν καρδίαν αὐτοῦ*, primo intuitu prodere videntur, quasi ex arbitrio mero se ad Israelitas inuisendos contulerit. Sed si textus sacros & STEPHANI & PAULI, quorum supra mentionem faciebamus, curatius inspexeris; longe aliter sentiendi habebis rationes. Et PAVLVS quidem diserte docet EBR. XI, 24. *Mosen* ex fidei principio, adeoque spiritus sancti, cuius opus fides est, operatione & impulsu intercedente, *pro nibilo reputasse filii loco haberi a Regis Aegyptiorum filio*. Hoc ipsum vero testatum fecit, cum, actus a Spiritu sancto, aulae delicias, teste EXODO, a tergo relinqueret, fratres inuisurns. Hic vero aequa animi lance

lancē haec trutinanti nequaquam in mentem venire potest, virum, mascula & plane heroica fide praeditum, intendisse saltem, vel forte vtrumque tolerabili inter contribules, quos aditurus erat, perfrui, quamuis aulae pompa diuitiisque careret; vel omnino honoris accessionem & gloriam ex eo captare, quod suos priscae libertati adsereret. Alia omnia tradit gentium apostolus, quum v. 25. pergat, eum *elegisse potius mala pati cum populo Dei, quam temporaria perfundi peccati voluptate.* Maluit itaque aduersa quaeuis subire in Israelitarum communiōe, nihilque pro occasione divinitus oblata intentatum relinquere, quod ad eos a seruili iugo liberandos vllō modo facere poterat, quam in palatio regio delitescere, eiusque voluptatibus inebriari, dum interea contribules iniustissime opprimerentur. Quod cum fatius esse duceret, a peccati illecebris, PAVLO praecunte, sibi cauit, quibus haud dubie succubiturus erat, spreto diuini spiritus ad opus tam fidei plenum interno impulsu. Quae vero fuerit causa mouens, qua incitatus omnem splendorem regum insuper habuerit, exponitur v. 26. *Maiores nimirum diuitias existimauit esse probrum Christi Aegypti thesauris,* quorum magnam saltem partem ceu filius adoptiuus obtinere poterat; *quia respexit, seu mentem suam conuertit in mercedis retributionem.* Conferebat igitur inter se Aegypti thesauros, quantumuis magnos, & probra, quae passurus erat, vel ad instar Christi, vel propter fidem in Christum: institutaque comparatione tandem arbitrabatur, haec, vt vt acerba, multum anteferenda esse omnibus Aegypti diuitiis, si vel solus iis potiretur; prospiciebat enim oculis, a spiritu sancto illuminatis, in remunerationem, olim reportandam, omnibus totius mundi opibus longe excellentiorem. Cum igitur *Moses*, fide animatus, re diu multumque deliberata, duce ipso Numine, eo deuenerit, vt, posthabitis cunctis, quae sensus demulcebant, irritamentis, aulae valediceret, Israelitis misere adflictis se adiuncturus, eorumque melio-

rem conditionem, quantum poterat, promoturus: quis sibi persuaderi patietur, eum vel temere, vel adfectu pravo abreptum, involasse in violentum adgressorem? Immo vero res ipsa loquitur, virum Deo deuotum, quidquid in hoc negotio fecerit, ex consilio, nutu & impulsu ipsius Dei perfecisse. Sed accedamus quoque ad STEPHANVM, qui non minus causae nostrae insigniter fauet. Is enim, postquam ACT. VII, 24 *Mosen* Aegyptium trucidasse commemorauerat, subdit v. 25, eum *existimasse*, *Israelitas fratres* ex hoc facinore *intellecturos esse, quod Deus, suo ministerio usus, a dura seruitute ipsos liberaturus sit*. Quodsi *Moses* voluit, vt Israelitae ex hoc facto colligerent, se futurum esse ipsorum liberatorem: tum sequitur, vt ipse firmiter crediderit, Deum has partes sibi demandasse; sequitur etiam, vt *Moses* hoc factum pro signo quasi dato habuerit, ex quo perciperent fratres, quae & quanta in posterum ab ipso sperare possent; sequitur denique, eum diuinitus certum fuisse, patrandam esse hanc caedem, vt existeret diuini auxilii quidam praenuntius & documentum. Quomodo enim *Moses* iure postulare poterat, vt alii ex caede, proprio ausu, praecipitantiam, aut adfectuum furorem a se admissa, argumentarentur ad magnam salutem, quam ipse Deus eius opera fit praestiturus? Quodsi vero mente sobria, & a Deo excitata, praeter misere adflictorum Israelitarum spem atque opinionem, vnum ex iniustis eorum oppressoribus, sub circumstantiarum plane singularium cumulo, e medio sustulerat: tum ad signa temporum attenti haud obscure obseruare poterant, nec in posterum hunc virum suis defuturum esse calamitatibus. Israelitas iure ex *Mosis* facto ad imminens auxilium concludere debuisset, praeterea ex acri censura, qua STEPHANVS eos v. 25. prosequitur, discimus, cum dicit: *οὐδεὶς συνήκων, illi vero, quae singularis erat eorum stupiditas, non intellexerunt, prope esse liberatorem*. Quid quod, idem Protomartyr v. 35. grauiter ipse

exprobrat, quod *Mosen*, a Deo extra ordinem missum ἀρχοντα καὶ λυτρωτήν, ne admittere quidem voluerint, sed importune reiecerint. Vana essent haec omnia, & sine ratione dicta, si *Moses* iniussus Aegyptium necasset, aut per impensum in contribulibus amorem probabili tantum conjectura collegisset, se forte eos in libertatem adferturum esse; cum e contrario optime sibi constent, si, de voluntate divina certissime persuasus, ad mortem Aegyptio inferendam progressus fuerit. Quae cuncta qui apud animum suum perpenderit, facile animaduertit, hanc *Mosis* caedem non pro *privata* illius *actione*, ex qua nihil pro aliis sequebatur; sed pro *publica*, ad officii suo tempore administrandi designationem pertinente, habendam esse.

## §. XVIII.

Sed haec haecenus! superest, ut ad ea quoque paucis respondeamus, quibus nonnulli probare institunt, *Mosen* ipsum probe conscium fuisse, se magis ex nimio feruore, atque oppressoris odio, quam ex pio zelo, ad Aegyptium interimendum accessisse. Cur, inquit 1.) si *Moses*, mortem Aegyptio illaturus, in bona causa versabatur, huc illuc respexit, ad instar illorum, qui, dum flagitium reclamante conscientia peccerant, saltim cauere solent, ne in aliorum notitiam perducatur. Sed gratis adsumitur, *Mosen* huc illuc respexisse, ut eo latentius peccare posset. Quid enim 2.) si sollicitate circumspexerit vel arbitrum, quem ad dirimendam litem accerferet; vel opem laturum aduersus viri rabiem; vel saltem testem, quo uteretur ad probandam hominis furentis pertinaciam, quae non nisi morte illata superari potuerit? tum certe omnis suspicio, qua *Moses* oneratur, statim evanescit. Deinde 3.) concedamus liberaliter, *Mosen* ideo oculos suos circumtulisse, ut observaret, virum in vicinia esset, qui rem manifestaret: tum tamen ne sic quidem malae causae indicium dedit;

dedit; sed prouide & prudenter egit, quia probe nouerat, Regem eiusque aulicos, iuratos quippe Israelitarum hostes, vel iustissimam Israelitarum defensionem pro crimine enormi, non nisi vitae iactura expiando, habere, & irrito prorsus conatu legum auxilium aduersus eorum oppressores implorari. Quae cum ita sint, nihil aliud ex *Mosis* circumspectione colligi potest, quam quod optimam causam bene non minus & sapienter administrauerit.

## §. XIX.

Non maioris ponderis 2) est illud argumentum, quo *Mosen* *avroucarangifov* sistere volunt nonnulli, ex eo petitum, quod trucidatum quam studiosissime in arena, cuius variis in Aegypti partibus magna copia est, occultauerit. Si, sic ratiocinantur dissentientes, iure, & praeterea Deo moderante, *Moses* Aegyptium internecioni dedit: cur, quaesumus, interfectum tam anxie sub arena occultauit, ut ea coniectus & suffocatus videretur? quidni potius, ut aliis exemplum esset, omnium oculis eum expositum inhumatumque reliquit? sed qui calculos ita subducunt, non satis perpendunt, quid intersit discriminis inter rempublicam bene constitutam, qua suum cuique tribuitur, atque inter rempublicam, qua quiduis aduersus omnes, vel aliquos saltem, licitum est, & latrocinia impunita manent. Prouide igitur aliquando iustissima facta iniustorum oculis, aduersus quorum vim nihil valemus, subtrahuntur, quia hi non secundum iustitiae legem, sed iniuste potius agere consueuerunt.

## §. XX.

Denique 3) sunt, qui *Mosē* fugam, cui se caede admissa permittit, vitio vertunt, opinati, quod in eam se coniecerit ex male actorum conscientia. Verum haec plane secus se habent. Patet enim ex *EXOD. II, 15. Mosē* non prius in fuga salutem quaesi-

quaesuisse, quam rescinerat, Regem vltimum sibi supplicium destinasse. Abuti poterat ad palliandum hoc facinus Rex Aegypti ista lege, quam *DiOD. Sicul. L. I. p. 70.* litteris consignauit, *qua vita priuari iubebatur, quicumque liberum hominem aut etiam seruum sponte occidisset.* Cum igitur defensio, vel maxime mascula, omnibusque praefidiis munita, *Mosi* apud Tyrannum, internecio odio aduersus Israelitas inflammatum, nihil prodesset: nihil aliud sibi reliquum esse videbar, quam vt fuga sibi consuleret. Neque illa a consilio diuino aliena fuit; quia elapsis demum quadraginta annis Deus Israelitas ab Aegyptiorum tyrannide vindicaturus erat. Notamus hic plura cumulare, postquam hanc omnem causam satis iam perorauit in *APOLOGIA* pro fuga sua *ATHANASIVS.*

F I N I S.



PRAENOBILISSIMO ATQVE AESTVMATISSIMO


HVIVS DISSERTATIONIS

A V C T O R I

S. P. D.

P R A E S E S.

**T**res fere anni effluxere, ex quo TV, PRAESTANTIS-  
SIME HOFFMANNE, in Fridericiana nostra versatus  
es. Non turpi otio aut consortio indulgisti, sed omnem potius, vt  
genuini litterarum cultoris partes impleres, movisti lapidem.  
Neque res successu caruit: siquidem post diligentiam laudabiliter  
collocatam iam eiusmodi in litteris profectus adquisuisti, vt eorum  
aliquod specimen in lucem proferre, Virorumque celeberrimorum  
examine submittere queas. Eo maiorem ego exinde percipio vo-  
luptatem, quo copiosior mihi TE propius noscendi data fuit oc-  
casio; ideoque vehementer TABI gratulor studia bene culta, &  
curriculum academicum feliciter ad finem perductum, Deum  
ex animo precatus, velit, in posterum quoque conatibus TVIS gra-  
tia sua adesse, atque vt ex TE, ad maturitatem perducto, egre-  
gia suo tempore in alios commoda redundent, quam benignissime  
iubere. Sic vale, & me ama! Dabam d. VII. Iul. MDCCLXVI.



D

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
RESPONDENTI

S. P. D.

GODOFREDVS BISCHOFF

TREBNITIO - SILESIVS

OPPONENS.

**S**icut res extra omnem dubitationem est posita, studiorum perennitate opus esse, si quis velit quosdam in disciplinis facere progressus: ita non minus certum est, indefessum requiri ab eo studium, qui nomen sacrarum litterarum cultoris vindicare sibi totus cupit. Operam omnem iis dabit omnemque vitam in addiscendis illis collocabit, bene quidem, cui hocce nomen idque nobilissimum aridet. Labores vero isti, quibus, non sine spe alicuius verique commodi, defungitur, acti erunt iucundi eorumque praemia non nisi certissima. Haec ipsi exstant, cum alii a recto aberrantes tramite in vanum laborant. Quemadmodum enim virtus sibi ipsa merces, ita etiam vera assiduitas in his litteris discendis adhibita sibi ipsa praemium. TVAM, AMICE OPTIME, exemplum, quo alios praes, perspicuum demonstrare satis potest, quid quod demonstrat, quantum quantum illud sit. Felix enim, quo gaudes, ingenium insigni ardore in primis exercuisti in illis, quae de rebus gravibus praecipiant, litteris & profectuum TVORVM, quos fecisti,



fecisti, testis est specimen, quod edis, publicum. Tempore in hac  
musarum sede bene consumto mens TUA magna iam afficitur lati-  
tia; afficitur per totam, quam sic vives, vitam voluptate non  
peritura, sed perenni. En primum veris sacrarum litterarum  
cultoribus, TE TUAQVE diligentia dignum! Ex animo TIBI  
illud gratulor. Singularis, quam inter nos contraximus ab eo tem-  
pore, quo hac in Academia TECVM & utiliter & iucunde de-  
gere mihi contigit, amicitia non solum, sed etiam amor, quem  
TIBI debeo, sincerimus requirit, ut hoc munus subeam, ut fun-  
gar. Gratulor mihi amicum, qui, cum dissentientis partes mihi  
offerres, hoc facto amicitiam nostram non dissolvere, sed. quod erat  
in votis, immortalem reddere voluisti. Nullus dubito, quin  
Deus o. m. rerumque omnium moderator TUA studia nunquam  
non ita sit moderaturus, ut TIBI & orbi litterato sint saluber-  
rimum. Vive Deo, vive Patriae, vive mihi, meque, ut adhuc fe-  
cisti, in futurum ama. Crede, has esse, quas summo numini  
fundo, preces, ut TVVS viam, TVVS moriar. Vale. Scri-  
bebam in Regia Fridericiana, die XII. Iulii A.C. MDCCLXVI



### Corrigenda:


Pag. IV.	Lin. 12	existierunt	lege	<i>existierunt.</i>
— V.	— 9	falsisset	—	<i>fals esset.</i>
— VII.	— 3	igitur	—	<i>igitur.</i>
— VIII.	— 4	fratros	—	<i>fratres.</i>
— —	— 15	exactioris	—	<i>exactioris.</i>
— XI.	— 9	Israelitum	—	<i>Israelitam.</i>
— XII.	— 9	AQVINVS	—	<i>AQVINAS. &amp;c.</i>

Fd 2287

X 2284284

Vd 18

nc





12  
13

M O S E N  
I V S T V M A E G Y P T I I  
P E R C V S S O R E M

D E O A V S P I C E  
C O N S E N T I E N T E A M P L I S S I M O P H I L O S O P H O R V M O R D I N E  
P R A E S I D E  
V I R O M A G N I F I C O E X C E L L E N T I S S I M O  
A T Q V E A M P L I S S I M O  
I O H A N N E F R I D E R I C O S T I E B R I T Z

A C A D E M I A E F R I D E R I C I A N A E P R O R E C T O R E  
P H I L O S O P H I A E O E C O N O M I A E P O L I T I C E S E T C A M E R A L I V M  
P R O F E S S O R E P U B L I C O O R D I N A R I O  
E T A L V M N O R V M R E G I O R V M E P H O R O  
P R A E C E P T O R E A T Q V E P A T R O N O  
P I E T A T E M A X I M A A E T A T E M D E V E N E R A N D O  
D. XII. IV. LII. A. O. R. MDCCLXVI.  
E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I  
S I S T I V  
A V C T O R E T R E S P O N D E N S  
S A M V E L G O T T L O B H O F F M A N N  
L I E G N I T Z A - S I L E S I V S  
S. S. T H E O L O G I A E C V L T O R.

H A L A E M A G D E B V R G I C A E  
T Y P I S G R V N E R T I A N I S.